

Ad antec. Rerum essentias non cognoscimus nisi ex attributis et proprietatibus; et ipsa attributa et proprietates non nisi ex effectibus et operationibus; *a.* effectus proprios et operationes occasionalismus negat; *e.*

Prob. 3° De notione causae occasionalis est: *a)* ut sit realiter, seu ideo causet quia est; — *b)* ut in productionem effectus non influat physice suo influxu, sed inducendo, alliciendo agens, — *c)* ut saltem non unice procedat a vi efficiente agentis, sed aliunde ei obveniat; — *a.* in explicatione occasionalistarum habentur *a)* et *b)*, sed non *c)*; *e.*

Ad maj. Sine *a)* erit potius causa finalis,

sine *b)* erit potius causa efficiens saltem mediata,

sine *c)* erit potius causa efficiens instrumentalis, vel ad summum,

causa occasionalis per accidens, non per se, v. c. si quis opus fecerit non advertens ejus utilitatem ad aliud agendum, postea advertens, ea occasione inducatur ad hoc aliud agendum.

Ad min. Secundum occasionalistas omnia omnino quae fiunt circa corpora, fiunt a Deo; nec potest in Deo admitti ignorantia nec inadvertentia.

Objic. 1° Omnia debent perfectissime a Deo dependere; *a.* perfecta dependentia est dependentia totalis et in esse et in fieri; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* totalis, i. e. quoad totum suum esse et fieri, *c;* totalis, i. e. immediata et exclusiva omnis causae secundae, *n.*

Objic. 2° Ad productionem effectus praerequiritur in agente impulsus finalis in effectum, ac proinde cognitio intellectualis rei efficiendae; — *a.* *a)* res corporeae cognitionem hanc non habent; — *b)* neque ipse homo intimam naturam effectuum cognoscit; *e.* — *R. c. maj. 1 part.* — *d. 2 part. maj.* cognitio requiritur ad impulsum finalem qui habeatur per modum appetitus elicitum, *c;* qui per modum appetitus naturalis, *n;* — *c. min. 1 part.* — *n. supp. min. 2 part.* (sufficit ut cognoscatur effectus sub eo respectu quo appetitur).

Objic. 3° Agens debet esse intime praesens effectui suo, per compenetrationem passi; *a.* corpora nequeunt compenetrare; *e.* — *R. d. maj.* agens universalissimum, quod attingat effectum quoad ipsam rationem entis ut sic, *c;* agens particulare, quod attingat effectum quoad rationem entis ita modificati, *n.* — *c. min.*

Objic. 4° Esse iners et agere inter se repugnant; *a.* corpora sunt inertia; *e.* — *R. d. maj.* esse absolute iners, i. e. nullam habere operationem, *c;* relative iners, i. e. prout physici intelligunt: suum motum per se mutare non posse, *n.*

Objic. 5° Res una in aliam agere non potest nisi aliquod accidens suum illi communicat; *a.* impossibile est ut accidens de substantia in substantiam transmigret; *e.* actio transiens rerum repugnat. — *R. n. maj.* vel *d. maj.* accidens suum numero idem..., *n;* accidens v. c. suo aequivalens, vel simile, sed numero aliud, *c.* (imo melius diceres *formam* quam *accidens*). — *c. min.* — *n. cons. et supp.*

Objic. 6° Potentia agendi conjunctam habet potentiam abstinendi ab

actione; *a.* in corporibus ratione expertibus non datur potentia abstinendi; *e.* — *R. d. maj.* potentia libere agendi... *c;* secus, *n.*

Objic. 7° Effectus omnes corporum contingentes sunt; *e.* proxime ab aliqua causa libera (Deo). — *R. d. ant.* contingentes absolute, *c;* hypothetice, *n.* (prout procedunt a causa proxima: corpore).

Objic. 8° Deus perfectissimo modo omnia facit; *a.* perfectius est omnia solum facere quam alieno auxilio; *e.* — *R. tr. maj.* — *d. min.* alieno auxilio propter indigentiam, *c;* propter bonitatis abundantiam, *n.*

Objic. 9° Frustra per plura fit, quod fieri potest per pauciora; *a.* Deus potest per se solum...; *e.* — *R. d. maj.* quod absolute potest, *n;* quod respectu ad finem intentum potest, *c;* — *c. d. min.*

Objic. 10° Eo ipso quod Deus aliquid vult, id fit; *a.* omnia quae fiunt sunt a Deo volita; *e.* a Deo facta. — *R. d. maj.* id fit eo modo quo Deus vult, *c;* secus, *n.* — *d. min.* sunt volita excludendo causas secundas, *n;* secus, *c;* — *d. cons.* a Deo ut causa prima, *c;* sola, *n.* (S. Thom. 1 p. q. 105. a. 5. — *Gent. 1. 3. c. 70.*)

Objic. 11° Si corpora agerent, Deus ipsis potentiam suam communicasset; *a.* hoc est absurdum; *e.* — *R. d. maj.* analogice, *c;* univoce, *n;* — *c. d. min.*

Propositio 33.

Nequit omnis corporum naturalium activitas efficiens reduci ad solum motum localem passivum.

Stat. quaest. 1) Ubi quaeritur qualis sit, seu in quo consistat activitas corporum, i. e. quid in corporibus admittendum necessario sit ut apte explicentur activitatis phaenomena hujus mundi, respondent atomistae puri recentiores nihil esse in corpore nisi atomos extensas, impenetrabiles, resistentes, ab extriuseco mobiles, et valentes in tali motu alia corpora impellere.

2) Haec affirmantes non animadvertunt se jam implicite etiam vires activas affirmare resistentiae, etc; — sed suam sententiam explicantes, dicunt nullam ibi dari vim activam; solas esse atomos in motu passive sumpto, i. e. ubicatione continuo fluente existentes.

3) Dicimus non sufficere merum motum localem passive sumptum, sed insuper aliud requiri, ad activitatem corporum explicandam, nempe virtutem movendi, seu motum activum.

Prob. 1° Adversarii deberent 1) aliquando observare posse illas quas supponunt particulas motu mechanico circumactas, — 2) experimentis clare ostendere novarum substantiarum ortum per *solum motum localem passivum* fieri, vel saltem fieri posse; — *a.* prius non possunt, quod fatentur; — posterius non ostendunt; *e.*

Ad maj. Ipsi nihil admittendum esse dicunt nisi quod indubiis experimentis comprobetur!

Prob. 2° Est in corporibus motus localis; *a.* ne hic quidem si solus et

mere passive sumitur, sine vera activitate, qua minima elementa vere immutentur, explicari potest; *e*.

Prob. min. 1) Motus localis qui phaenomenis mechanicis, physicis, chemicis subest, semel inchoatus non recta linea cum eadem celeritate infinitum pergat, sed varie ac varie mutatur et dirigitur, et de uno in aliud subjectum transmittitur; — *a*. ubi mutationes (quae certe non sunt nihil) producuntur, ibi efficientia aliqua *activa* se manifestat; *e*.

2) Teste experientia, quantitas motus quam res aliam offendens amittit, quantitati motus aequalis est qui in re impulsus excitatur; — *a*. fieri non potest ut idem numero nisus et motus de corpore impellente in corpus impulsus transmigrat; — *e*. in corpore impulsus novus motus et nisus oritur, qui a corpore impellente causatur effective, active.

Seu: Adversarii ita omnia explicare phaenomena volunt, ut si corpus cum corpore collidatur, alteri alterum de suo motu communicet; *a*. tale commercium haberi nequit nisi ita ut unum det (agat), et alterum recipiat (patiatur); alterum rursus det (reagat), prius recipiat (repatiatur); *e*.

3) Motus localis, ut propagetur et recipiatur, in recipiente requirit *resistentiam*, i. e. impedimentum compenetracionis; *a*. haec principium aliquod activum ostendit (cfr. supra); *e*.

Prob. 3^o Motus localis passive sumptus, utpote ubicatio fluens, comparatur ad ubicationem permanentem, sicut potentia ad actum, seu ut actus imperfectus ad actum perfectum; — *a*. ubicatio permanens per se formaliter sumpta nullam confert corpori ubicato virtutem agendi; — *e*. a pari motus localis per se formaliter passive sumptus...

Ad min. Ubicatio intrinseca (de qua hic) est merus modus corporis absolutus...

Objic. Videtur motus activus idem esse ac vita. — *R. d.* motus qui tendat ad debitam rerum dispositionem et aequilibrium stabile, *n*; qui ad ulteriorem agentis perfectionem tendat, *c*.

Propositio 34.

Praeter motum localem etiam activum, admittendae sunt aliae activitates corporum naturalium.

Stat. quaest. 1) Ad tertium quaesitum urgemus responsum, dari scilicet non solum vires activas motus per impulsus, quod fuit modo probatum; sed etiam alias vires activas motus praeter impulsus; seu aliis verbis dicimus non solum corpora vires suas activas exercere dum ipsa moventur et impellunt alia, sed etiam sine sui motu, non impellendo alia, operari tamen in alia.

2) Non negamus requiri motum localem ut conditionem qua jam non distent agens et passum, vel minuatur ad certam mensuram distantia.

3) Adversarii sunt atomistae puri...

Prob. 1^o In collisione duo corpora elastica resiliunt, commutata sua quan-

titate motus; *a*. hoc factum non explicatur ex solo motu locali, sed requirit aliam activitatem duorum corporum; *e*.

Ad min. 1) Motus localis non potuit transmigrare ab altero in alterum corpus, sed debuit prius totaliter extinguere ac dein oppositus motus concipi, in utroque corpore; *a*. ita habetur aliquod instans indivisibile intermedium quietis, quo sine motu locali efficiebatur resultus; *e*.

2) Debuit prius totaliter extinguere prior nisus, quam conciperetur nisus oppositus; *a*. ita actio alterativa, corporis nisus novum producens, debuit hoc intermedio instanti quietis exerceri; *e*.

Prob. 2^o In thermodynamia ostenditur constans conservatio energiarum in mundo corporeo, dummodo scilicet complexive sumantur et potentialis et actualis; *a*. ita alia est admittenda activitas praeter merum motum localem per impulsus; *e*.

Ad min. Energiam *actualement* vocant motum localem corporis (seu impetum ad hunc motum), energiam *potentialem* dicunt non corporis motum, sed virtutem eundem motum producendi sub certis conditionibus; — *a*. hanc virtutem consistere in mero motu locali moleculari, neque a posteriori neque a priori ostendunt, sed systematice tantum supponunt; — *e*. haec virtus dicenda est distincta a motu sicut omnis potentia ab actu correspondente.

ad min. per partes. a) (*non a posteriori*). Dum est in hoc statu, ipsi physici fatentur; — cum vero ostenduntur mutationes, jam non est energia potentialis sed iterum actualis, et nihil probatur; *e*.

b) (*non a priori*). Fundamenta arguendi sunt α) ex motu nihil produci posse nisi motum; β) motum extinguere non posse; γ) corpora omnia esse necessario non continua, sed discreta et ex moleculis distantibus composita; — *a*. haec omnia sunt falsa theoretice, et gratis affirmantur; *e*.

c) (*supponunt*). Fatentur ipsi physici has esse meras hypotheses, non facta.

Prob. 3^o Motus attractionis explicandus est 1) aut ex mero motu et impulsu mutuo attrahentium, — 2) aut ex eo quod impellens et impulsus constituerent systema quod proprium motum communem vel jam haberet, vel natura sua acciperet ex mutuo impetu, — 3) aut ex aliqua alia activitate attractiva quae ad impulsus et motum reduci non possit; — *a*. 1^m est absurdum, 2^m gratis affirmatur et est impossibile; — *e*. 3^m est admittendum.

Ad maj. Alia explicatio per motum et impulsus excogitari nequit nisi ita ut sumatur impulsus per se, i. e. ex propria sua natura, vel per accidens, i. e. inter moleculas, vel atomos, vel corpora, quae omnia simul systema unum constituent habens motum proprium.

Prob. min. 1 part. (ex mero impulsu). Impulsus natura sua tendit ad producendum motum ejusdem directionis quo movetur impellens; *a*. motus attractionis est directionis oppositae in attrahentibus; *e*.

Prob. min. 2 part. (ex systemate). a) Perseverantia talis systematis gratis affirmatur, nam nulla apparet neque ulla affertur ab auctoribus ratio.

b) Haec perseverantia est impossibilis; nam *determinatus ordo* inter ea quae

vario motu singulis quasi momentis impelluntur, servari nequit nisi per aliquam activitatem *elementis intrinsecam*, i. e. quae non ex ipsis motibus et impulsibus oriatur; — nec, si quando turbatus fuerit ordo, idem restaurari potest ex solis impulsibus.

Prob. 4° Teste experientia, motus ex impulsu variatur secundum massam et velocitatem; *a.* haec proportio in attractione non servatur quoad velocitatem; *e.*

Ad min. : v. c. *minima* velocitate oppropinquetur magnes ad ferrum : attrahetur ante contactum *immediatum* vel impulsus (teste experientia); atque etiam si excogitetur impulsus *mediante* aere, aethere, etc. tamen non servatur proportio; nam *a)* supponimus velocitatem *minimam*; *e.* impulsus non proportionatum; *b)* aer... interpositus inter duas superficies majores esset major et majoris effectus; *e.* impulsus esset proportionatus superficiebus, non massae (contra experientiam).

Objic. Effectus non pendet ab impulsu ex approximatione, sed a motu insensibili, systematibus impellentis et impulsi proprio; appropinquatio est tantum conditio... — *R. n. supp.* (impossibile est tale systema perseverans sive *vi intrinseca*; et omnia quae ad hoc systema reducuntur, v. c. aequilibrium etc..... sunt inania verba).

Prob. 5° Per motum localem solum explicari nequeunt phaenomena cohaesionis et chemicae affinitatis; *e.*

Prob. antec. 1 part. (cohaesio). Plura corpora, vel atomi, vel moleculae, ex impulsu accepto concurrentia, *a)* aut omnia simul moveri pergunt; — *b)* aut omnia simul quiescunt; — *c)* aut alia quiescunt, alia moventur; — *a.* si *a)* vel *b)*, adhaerent quidem, sed facillime et minima vi semper dissociari poterunt (contra experientiam); — si *c)*, nulla est cohaesio; *e.*

Prob. antec. 2 part. (affinitas). *a)* Haec in una eademque substantia varia est pro variis substantiis aliis; — *b)* non amittitur nec minuitur sicut motus mechanicus; sed semper eadem manet et in opportunis adjunctis exercetur; *e.*

Coroll. 1^m Ergo *vis* seu *principium quo* corpus agit, non est commentum rationis, sed reapse in rerum natura est, nam ubi activitas, ibi activitatis principium est.

Coroll. 2^m Ergo errant atomistae minimis elementaribus tribuentes immutabilitatem internam, nam ipse motus passivus nequit explicari sine motu activo, i. e. actione agentis.

Coroll. 3^m Ergo omnis *vis mechanica*, quae est in causa motum efficiente, etiam *dynamica* est, i. e. producens vim, seu nisum, qualitatem.

Coroll. 4^m Ergo errant dynamistae confundentes *potentiam et activitatem potentiae*, virium nomen ipsi tribuentes activitati.

Coroll. 5^m Ergo errant physici quidam confundentes *vim et legem* : nam lex est constans modus agendi alicujus rei; — *vis* est necessitas determinans, rebus insita, quae est ratio sufficiens illius modi constantis agendi.

Schol. Voci *virium* alia nunc a physicis significatio datur atque a philo-

sophis. Physicis sensus est : *validitas* qua quaeque res ad certos effectus producendos pollet; quae *validitas*, si ad effectum producendum expedita est, dicitur *vis viva*, si vero expedita non est, dicitur *vis potentialis*. — Haec validitas in universo mundo spectata, neque augetur nec minuitur, sed varias in variis phaenomenis formas subit. — Philosophis sensus est : potentia activa, i. e. quae effectum naturalem producit.

Propositio 35.

Non probatur nullam corporum potentiam esse per se actuosam, sed ut actuosa fiat, indigere complemento ab extrinseco adveniente.

Stat. quaest. 1) Conceditur esse aliquas potentias quae indigeant tali complemento, v. c. ferrum non nisi unitum cum magnete aliud ferrum attrahit.

2) Conceditur corpus ad corpus appropinquari debere, ut attractio sensibiliter fiat; — sed quaeritur num in hoc casu habeatur causa complens activitatem agentis.

3) Non ergo quaeritur utrum effectus agentis semper recipiatur in passo; potest enim non recipi propter defectum corporis apti vel satis propinqui; — sed quaeritur utrum agens ex parte sui sit completum, ita ut ad effectum nihil jam requiratur nisi apta dispositio et apta distantia passi, et aptum medium, vel conjunctio immediata.

4) Probationem dicimus nec a priori, nec a posteriori dari qua ostenderetur haec universalis indigentia complementi externi.

Prob. 1^a pars (non a priori). Complementum extrinsecum requisitum esset aut ex causa prima aut ex causa secunda aliqua; *a.* neutrum; *e.*

Prob. min. 1 part. (non ex causa prima). Ratio esset quia causa secunda non agit nisi : mota a prima, — applicata a prima ad agendum, — in virtute causae primae; — *a.* haec omnia : aut significant requiri tantum conservationem et concursum, et non probant intentum; aut significant stricto sensu quod verba prae se ferunt, et possunt retorqueri de intelligentibus, et negant libertatem, ac proin sunt falsa; *e.* (cfr. psychol. et theol.)

Prob. min. 2 part. (non ex causa aliqua secunda). Ratio esset : *a)* quia nulla virtus creata est sua actio, — *b)* quia nihil de potentia transit in actum nisi per aliquid quod est in actu; — *a.* primum gratis asseritur; secundum supponit quod est probandum (corpora quoties agunt, semper tunc transire de potentia in actum, non jam fuisse in actu ex parte sua); *e.*

Prob. 2^a pars (non a posteriori). Rationes afferuntur : 1) magnes et ferrum attrahuntur in certa tantum distantia; *a.* hoc non explicatur nisi per complementum causae extrinsecae apponentis; *e.*

Sed R. c. maj. — *n. min.* (appositio extrinseca solum efficit ut passum dispositum adsit in apta distantia, i. e. intra sphaeram activitatis sensibilis agentis.) — *n. supp. min.* requiri hanc appositionem ut est actio seu ut est :

hic poni, potius quam ut est modus productus illa actione, seu ut est : hic esse).

2) Inductione constat nullum corpus aliud movere nisi ipsum sit in motu...
Sed R. d. de motu impulsione, *c*; de omni motu, *n*.

3) Secus fieret impossibile explicare quomodo diversimode patiens diversimode agat.—*Sed R. n.* (diversimode operatur quia diversimode *modificatum*, non quia *patiens*).

4) (Quale operari tale esse; unde :) res per se completa in ratione operandi, erit per se in ratione essendi completa; *a.* quod in utroque per se est completum, nunquam debet per actionem extrinsecam compleri (quod de corporibus est contra experientiam); *e.*

Sed R. tr. maj. — *d. min.* non debet compleri quoad aliam potentiam quamcumque, *n*; quoad virtutem de se actuosam, *sd.* quoad agere simpliciter, *c*; quoad agere tali modo, *n.* (quod est completum in uno genere actionis, potest tamen in alio genere actionis, vel in alio quocumque ordine indigere complemento; imo in ipso illo genere actionis potest pati varias modificationes terminativas).

Propositio 36.

Phaenomena attractionis specialis corporum, et gravitationis universalis, explicanda potissimum sunt per qualitatem corporis attracti.

Notiones. *Attractionis particularis* et specificae, qualis invenitur inter magnetem et ferrum, inter resinam affricatam et paleas, etc.

Gravitatis universalis quae viget inter omnia corpora tum maxima caelestia, tum minima molecularia.

Phaenomena, quorum in physica docemur et existentiam et certas leges.

Stat. quaest. 1) *Potissimum*, non unice; sensus est requiri ad attractiones varias : a) qualitatem in corpore attrahendo, qua disponatur ad appropinquationis motus versus aliud corpus, — b) actionem attrahentis in attractum per medium aliquod, — c) passionem attracti, seu receptionem in eo actionis attrahentis seu nisus, — d) motum attracti versus attrahens, orientem ex attracti qualitate nunc in actum excitata. — Hinc sequitur tribuendum fore motum attracti ejus qualitati praedisponenti ut causae proximae; ceteris ut causis remotis vel ut conditionibus.

2) Non tamen dicenda erunt corpora movere seipsa quasi vitaliter, dum ita vadunt ad alia corpora, sicut diceretur de agno qui ab herba attrahitur; sed moventur se totis simul, i. e. tota ad modum unius moventur vi principii ipsis insiti, recepta actione attrahentis, i. e. nisu in motum appropinquationis.

Prob. Causa immediata motus in attractione excogitabilis esset :

extrinseca corpori attracto :

{ Deus vel spiritus impellens, tum pro singulis planetis caelestibus,
tum pro singulis moleculis corporum. — — — — — 1
{ corporale impellens; et systema mechanicum esset admittendum. — 2

intrinseca corpori attracto :

{ ita ut vadat sine praevia actione recepta ab attrahente. — — — 3
{ ita ut vadat post praeviam actionem attrahentis receptam. — — 4

Atqui nihil ex tribus primis admitti potest; *e.* quartum.

Ad min. 1 part. (spiritus). Quae per causas secundas, et quidem materiales fieri possunt, Deus nec per seipsum nec per spiritus operatur; *e.* donec probetur positive impossibilitas, alia naturalis explicatio praefenda est.

Ad 2 part. (corpus impellens). Ad impulsus mechanicum reduci nequit motus attractionis (cfr. supra).

Ad 3 part. (sine passione). Nulla esset ratio cur ad hoc corpus potius quam ad illud vadat corpus attractum, nam pro eo corpus non agens, non attrahens, est quasi non sit.

Coroll. Ergo *variae sunt illae qualitates, specificam naturam sequentes, quoad attractiones particulares; — et eadem est in omnibus qualitas, genericam naturam corporum sequens, quoad gravitatem universalem; quae non mutatur etiamsi mutatur naturae specificae corporum (teste experientia chemica).*

QUAESTIO 4.

De qualitatibus sensibilibus.

Propositio 37.

Qualitates corporum sensibiles sunt in rebus formaliter id quod sunt in sentiente repraesentative.

Stat. quaest. 1) *Qualitates sensibiles* : quae sensibus percipiuntur, praesertim ut sensibilia propria : color, calor, sonus, odor, sapor.

2) Quaeritur quid illae sint *absolute et in se* consideratae, ut sunt in rebus, seu ut in objectis cognoscuntur ab eo qui sine sensibus omnia ut sunt a parte rei adaequate cognoscat.

3) Qualitates illae considerari possunt : a) in ipso objecto, — b) in medio deferente (externo), — c) in organo sentientis materialiter considerato, — d) in ipso sentiente intentionaliter considerato, seu ut habet repraesentationem rei perceptae. — Quaeritur praesertim sitne repraesentationis similitudo inter a) et d).

4) *Veteres* nobiscum tenebant; et aliqui hodierni scientiarum physicarum cultores.

Recentiores tenent eas non esse nisi motus mechanicos aetheris vel aeris, quorum apparens irreductibilitas repetenda sit ex specifica differentia nervo-

rum seu organorum; — ergo eas non esse formaliter in objectis, sed causative, i. e. inter eas ut sunt in objectis, et ut sunt in sentiente, esse similitudinem proportionis, non repraesentationis.

5) Admittimus quod experientiae scientificae satis clare ostendunt: cum his sensibilibus phaenomenis semper connexum esse motum in corporibus sive vibratorium transversalem, sive longitudinalem; et quidem motum cum ipsis phaenomenis ita proportionatum, ut qui calculo mathematico motum tractaverit quoad directionem, velocitatem, intensitatem, easdem conclusiones de ipsis qualitatibus correspondentibus affirmare jure possit; imo et qui medio quocumque motum immutaverit, is sit etiam ipsas qualitates eadem proportione immutaturus; ac vicissim qui qualitates noverit vel mutaverit, eadem circa motum affirmare possit, vel immutare.

6) Item admittimus quae chemicae experimentationes nos docent de combinationibus odori et saporibus correspondentibus.

7) Sed negamus illas qualitates objective in corporibus nihil aliud esse quam istos motus, et dicimus praeter illos motus esse in corporibus alterationes sensibiles tales quales vulgo eae a rudibus aestimantur.

Prob. 1° Motus qui teste physica habentur cum illis qualitatibus, ordinatissimi sunt, et saepe constanter in rebus permanentes; — *a.* 1) horum motuum, vibrationum variis directionibus, intensitatibus, causa nulla est proportionata, nisi admittantur qualitates formales variae, quae illos producant; — 2) hae qualitates nequeunt aliae esse a parte rei ac in sentiente repraesentantur; *e.*

Prob. min. 1 part. (sunt qualitates). Ex ipso principio causalitatis notum est, non solum motibus istis, sed etiam eorum ordinatae constantiae, directioni, etc, esse assignandam aliquam causam, et quidem proportionatam; — *a.* talem causam non invenies nisi 1) aliquid ipsis corporibus intrinsicum, — 2) quod sit in eodem corpore constanter idem quamdiu permanent iidem motus et effectus, — 3) quod sit diversum pro diverso motu et effectu producendo, — 4) quod sit huic naturae corporali magis connexum quam alii, v. c. sonoritas aeris (ex quo campanam facere possis) et plumbi (ex quo non possis...), — 5) quod proinde sit aliquid ipsi corpori inhaerens, aliqua ejus forma accidentalis, qualitas seu modus essendi simul et potentia activa, qua corpus producat effectus correspondentesque motus in medio et in organa nostra; *e.*

Prob. min. 2 part. (non aliae...). Si dictae qualitates non essent similes in re et in repraesentatione, 1) tolleretur omnis similitudo repraesentationis inter nostras sensationes et objecta percepta; ac proin ipsa natura cognitionis; — 2) falsificarentur nostrae cognitiones, tribuentes invincibiliter ipsis objectis, eas qualitates quales essent nobis subjectivae tantum; ac proin aperiretur via idealismo; *e.*

ad antec. Natura cognitionis nostrae humanae ea est, ut nihil sit in intellectu quod non prius suo modo fuerit in sensu; ut proinde nullum aliud objectum cognoscatur intuitive, nec per species proprias, nisi id quod sensus

affecerit (cfr. psychol.); — *e.* si ne ipsas quidem qualitates sensibiles apprehendimus quales sunt in re: nulla omnino erit nobis species propria, nec intuitio; sed omnia erunt per species analogas cognita, et quidem per species inanes quae de nulla re sint verae et propriae; ac proinde nullum unquam erit objectum proprium proportionatum cognitionis nostrae primum, sed semper omnia secundaria fictitia; *e.*

Prob. 2° Homines sensu communi, natura sua, inducuntur ad tribuendas rebus qualitates formales; quae persuasio naturalis ut deseratur, non nisi evidenter stringentibus argumentis scientificis legitime requiri posset; — *a.* talia argumenta non habent adversarii; *e.* (cfr. object.)

Objic. 1° Secundum adversarios, qualitates sensibiles sunt motus mechanici, ac proinde 1) essentialiter quidem inter se non differunt, sed accidentaliter tantum sicut omnes motus locales, nec specifica essentialis distinctio inter eas invenitur, si sumuntur objective a parte rei, 2) sed subjective a parte percipientis accipiunt diversitatem specificam ab organis specificis diversis; *a.* in his nullum incommodum; *c.* — *R. c. maj.* — *n. min.* (eo magis sequuntur quae in argumentis ostendunt, quanta foret inanitas nostrarum cognitionum, et adversariorum idealismi olentia).

Objic. 2° Teste experientia in tantum habentur eae qualitates, et mutantur, augentur, minuuntur, in quantum habentur, mutantur, augentur, minuuntur motus; *e.* — *R. d.* et hoc probat cum eis semper conjungi motum, et quidem proportionatum, *c.* probat eas non esse nisi motum, *n.* [*N. B.* 1) probabile erat a priori, eas qualitates ut inducantur, ut se communicent, ut se manifestent, imo forsitan ut conserventur, requirere trepidationem, motum aliquem. — 2) non datur motus nisi rei concretae; *a.* res concreta plures habet qualitates; *e.* non datur experientia motus puri, neque constat motum ut est in concreto non immutare qualitates, v. c. calor ferri colorem mutat. — 3) sic etiam in sensatione habetur motus adjunctus proportionatus; *a.* non tamen sensatio non nisi motus est (cfr. organol.); *e.* a pari... — 4) in scientiis naturalibus, quae maxime attendunt ad rationem mensurabilis, merito attenditur ad motum; sed non licet sine optimis rationibus *exclusive* loqui].

Objic. 3° Color non est nisi lux modificata; *a.* lux non est nisi motus in aethere; *e.* — *R. d. maj.* non nisi lucis modificatio, *n.* qualitas corporis quae vel natura sua, vel motu sibi annexo modificat lucem, *c.*; — *d. min. 1 part.* non nisi motus, *n.* qualitas cum motu, *c.* — *n. min. 2 part.* — et *n. supp.* admittendam esse aetheris existentiam: possunt enim omnia ipsi corpori tribui. Cfr. supra, prop. 20. — [*N. B.* 1° Potest intelligi modificatio lucis, vel a) ita ut et qualitas et motus correspondens modificentur simul, ac proin aer et lux formaliter transferant colores; — vel b) ita ut non qualitas aeris, sed motus tantum modificetur, nec proinde transferat colores formaliter, sed causative: communicando organo motum ita modificatum qui in sentiente producat perceptionem qualitatis correspondentis quae formaliter in objecto est. — *N. B.* 2° Colores possunt esse et in objecto et in luce: in objecto